



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VIII. Duplex disputatio, an Sacramenta post Adami lapsum statim instituta fuerint: ac de remedio pro fidelium infantibus in vtero matris morientibus, ex Caietani sententia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

1547. eum damnans, qui diceret, confirmandi potestatem in quouis alio, præterquam in Episcopo inesse: nam in delegato, ut qui propriâ virtute non agit, absolutè & sine vllò additamento dici non potest potestatem inesse. Satius tamen visum, ut claritati consuleretur, adiciere vocem illam, *Ordinarium*, à Florentino pariter vsurpatam, quâ & hinc sententia communis de facultate delegata seruatur illæsa, & hinc hæreticorum error à proscriptione non subducitur. Si rudioribus hominibus innotesceret, quantum curæ animaduersionisq; sibi postulet quiuis penicilli ductus ad singularem cuiuspiam picturæ præstantiam, mirari desinerent, quòd parua tabella diuturni temporis laborem absumat: hinc verò fit, ut aduersus quàm ceteris rebus accidit, ars in maiori sit pretio apud quem ea magis abundet.

C A P V T V I I I.

Duplex disputatio, an Sacramenta post Adami lapsum statim instituta fuerint: ac de remedio pro fidelium infantibus in utero matris morientibus, ex Caietani sententia.

DVo insuper in disputationem adducta: alterum fuit Lutheri pronuntiatum, à delectis Patribus ex eius libro disputationum depromptum, quod in disputatione anno 1520. ab illo habita continebatur; videlicet, *Statim post Adæ noxam fuisse Sacramenta, gratiam impertientia*. Id complures Theologi minime damnandum putarunt, tum ob multorum sententiam de Matrimonio (quod tamen alij Sacramentum tunc esse negabant) tum etiam, multoq; magis, ob Augustini doctrinam vniuersè receptam, videri credibile fuisse, quouis tempore institutum à Deo remedium aliquod infantibus, ne omnes qui per eam ætatem morerentur, ineuirabili damnatione perirent. Quod remedium, cum ex Diuina institutione ac promissione certum omnino esset, nec eorundem infantium merito deberetur, simulq; de multorum sententia, ritum aliquem subiectum sensibus exigeret, propriam Sacramenti rationem obtinere videbatur, & pro Sacramento à variis Scholasticis habitum est. Itaque consultius visum, eam quæstionem non aggredi. Etenim quod à Melanchthone, Pauli verba perperam interpretante, affirmabatur, transitum scilicet per mare rubrum, fuisse verum Hebræorum Baptismum, non aliâ proscriptione indigebat, nisi Decreto de forma Baptismo necessaria, ac de Institutore omnium septem Sacramentorum, qui Christus est.

Alte-

2 Alterum in quo sententiæ variarunt, fuit Caietani dictum. Pæculiaris enim Theologorum cœtus, iis quæ selecti Patres ex hæreticorum libris extraxerant ad censuram, adiecit alia quædam, quæ ipsis in eodem argumento proscribenda videbantur. Inter hæc opinionem Caietani apposuerat, qui aliquid opis suppetere Christianis putauit, quâ infantibus in utero matris obeuntibus succurreretur; ac proinde, quamquam timidè, meliorisquæ iudicij correptioni se subdens, hæc scripsit: *Cautè & irreprehensibiliter ageretur, si periclitantibus in utero pueris ob maternam egritudinem, vel partus difficultatem, benedictio in nomine Trinitatis daretur, & causæ discussio deinde Diuino reseruetur Tribunali: quis scit, si Diuina misericordia huiusmodi Baptismum in voto parentum acceptet, ubi nulla incuria, sed sola impossibilitas executionem Sacramenti excuset?*

3 Ut hanc opinionem à censuris vindicaret, rationes quasdam attulit Seripandus. In primis, quoniam aliter efficacior fuisset apud veteres fides, quàm apud nos seu Fides seu Baptismus; & tamen à S. Gregorio pronuntiarî, nunc effici ab aqua id quod tunc fides efficiebat. Præterea, institutum à Deo fuisse Baptismum, uti maxime necessarium ita facillimum, re quæ nusquam deest ad illius materiam assumptâ, & ad illius ministerium admissis etiam homine ethnico ac muliere: & tamen si hoc Sacramentum infantibus, antequam nascantur obeuntibus, nequiret per votum parentum utiliter admoueri, non ita fuisset institutum, ut omnibus prodesse posset; quin esset status quidam hominis ineptus ad recipiendam iustitiam, videlicet in aluo materno. Tertio, quia Diuina potentia & misericordia in Lege veteri ad Sacramenta non coarctabantur, sed per solam parentum fidem infantibus iustitiam infundebant, credendum non esse, eas in præsentia coarctari, postquam per effusum Christi sanguinem & hominum salus amplificata, & manus beneficentiæ Diuinæ sunt dilatata.

4 Idcirco Patres articulum illum haud proscribendum putarunt. Cuius rei causam adducebant; ^a quoniam is ad Baptismi doctrinam non spectabat, adeoque posset omitti, nec tamen per hoc ipsum silentium tolerandus declararetur: quamquam postea Dominicus Sotus, etiam si eiusdem Ordinis atque Caietanus, hæresis illum notauerit, & Pius V. Pontifex Max. in eadem Schola eruditus, id ex libris tam eximij Theologi expungi iusserit: nec immerito, cum vniuersali Christi effato, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, opponi videretur; quippe quodd induceret quamdam certam rationem cæli obtinendi citra

^a In Actis
apud Facchinnetos.

1547.

Baptifinum, vel proprium Baptifmi votum: quidquid fit de fententia Gersonis, putantis interdum relaxari à Deo hanc legem pro fuo arbitratu ad parentum preces; vel de altera minus laxa S. Bonaventuræ, & Epifcopi Antiffiodorenfis opinione, dicentium id faltem contingere, cum inceptus iam Baptifmus ex obftaculo, fed citra culpam, aut ex occulto vitio abfolui non potefl.

Cum autem producenda mihi fuerint oppofita à Seripando argumenta, par eflè videtur ea breuiter hinc diffoluere, ne quis Theologia minus peritus infolubilia exiftimet. Quod fpectat ad primum: Facilius certè nunc efl aquam haberi, vtpote vbique affluentem, ac baptizandi voluntatem cuilibet Chriftiano promptam, quàm tunc veram Fidem, quæ ad modicam hominum claflem reftrengebatur; nec etiam tunc Originariæ infantum noxæ, antequam nafcerentur, ex communi fententia medebatur. Nec vrget validius altera ratio. Etenim vt fortuitò contingit interdum, aquam feu miniftri voluntatem defiderari; perinde fortuitus cafus efl, quòd in aluo matris puer moriatur: natura fiquidem omnes procreat vt nafcantur, caufarumque ordinem ita difponit, vt quifque conceptus in lucem prodeat, nifi quid fortuitò incidens obftiterit. Hinc fit, abfurdum non eflè, ftatum quemdam in natura reperiri recipiendæ per Sacramentum Iuftitiæ minimè capacem; dummodò naturale non fit, fed ex accidente, & contra naturam ipfam, quòd ftatus ille fit homini poftremus, quodque is ad alium ftatum iuftitiæ capacem non tranferit.

Quod denique de Diuina mifericordia afferebatur; oftentum iam efl, eam in Lege noua ad multò facilius exhibendum remedium fe obligaffe, quàm in veteri. Præterquam quod in his omnibus controuerfiis par efl animo recolamus, noftræ de Diuina mifericordia exiftimationi euagandum non eflè extra eos fines, quos Deus per facras Litteras commonftrauit. Etenim vt ipfi liberum erat, homines non condere, vel ita procreare, vt ad claram Dei vifionem ius nullum illis tribueret, atque etiam vt hoc iure ob noxam genitoris eos priuaret; ita quoque potuit in reliquum, citra iuftitiæ detrimentum, fuam mifericordiam impertiri, eâ profus mensurâ quæ ipfi libuit: cum præfertim id ita præftiterit, vt pro caufarum naturalium ferie, ac fublatis fortuitis euentibus, nullus hominum fit, cui fubfidia Chrifti fanguinis applicari non poffint. Qui hos fines aufit prætergredi, fpecie pietatis ad impietatem Pelagianam accedit. Quo pacto rebelliones omnes initio præ fe ferunt oftentationem maioris in Principem beneuolentiæ; ita hærefes omnes

ex

ex ostentatione melioris de Deo existimationis originem habent : 1547.
& quo pacto maiori fertur in Principem benevolentia, qui animum
illius iussis submittit ; ita meliora de Deo credit, qui mentem il-
lius oraculis mancipat.

C A P V T I X.

*Disciplina leges statuta : præsertim, ne idem Episcopus pluribus
Ecclesiis præsit; neque plura Sacerdotia seu ad vitam possiden-
tis, seu perpetuò coniungantur. Ea quæ Suavis differit de insti-
tutione Sacerdotiorum, de Vnionibus, & Commendis, quas
vocat, expensa.*

1 **Q** Vinque hîc Decreta à Concilio parata Suavis affert, de con-
uenienti, sicut ipse dicit, administratione trium Sacramen-
torum, de quibus Canones loquebantur, variasque disputa-
tiones enarrat habitas in huiusmodi Decretis conformandis ; sem-
per intentus, ad quemlibet Ecclesiæ Catholicæ vsum tamquam abu-
sum colorandum : sed de his omnibus in Actis Concilij nulla men-
tio. Et sanè intelligebant optimè sapientissimi Patres, tam virtu-
tum quàm parietum structuram à fundamentis inchoandam : hæc
autem fundamenta in Republica Christiana esse Rectores Ecclesia-
rum. Si hæ rectè fuerint distributæ, paucis opus esse legibus, eas-
que religiosè seruatum iri : sin huiusmodi distributio labascat, in-
numeras leges, tamen si ritè custodirentur, nequaquam suffecturas ;
vtpote quæ cunctis euentis consulere nequeunt, ac prætereà quia
iplarum paucissimæ sub improbis rectoribus obseruantur, cum illæ
instar ensium ab hominis tractantis brachio robur trahunt.

2 Hæc itaque fundamenta disciplinæ tunc Patres iacturi, denuò in
disputationem reuocarunt negotium de Episcoporum suis in Sedi-
bus mansionè. Cum enim nullius causæ actio ad ea quæ distant
protendatur, valeatque hîc effatum commune, Absentes pro mor-
tuis habendos, reliquæ dotes infructuosæ agnoscebantur, vbi per
præsentia contactum non applicarentur ad agendum : sed huic
præsentia præualidum erat impedimentum plurium Sacerdotio-
rum in vno capite coniunctio, quòd pluribus in locis vnus idemque
homo refidere non posset.

3 Non obliuiscitur hîc Suavis religionis studium callidè præ se fer-
re, fortunata illa tempora suspirans, quibus, prout ipse iactat, Ec-
clesiæ patrimonium administrabatur à cœtu fidelium, quibus com-
mune